UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto Calocero martyre Cap[itulum]. ccviij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

monachorum prefuit: multiſqȝ clarus virtuti-
bus poſtvitā laudabilem in pace quieuit: xiiij.
kalendas aprilis ibiqȝ ſepultus iacet.

¶ De ſancto Calocero martyre Cap. ccviij.

Calocerus martyr de cuius
triumpho in paſ
ſione fauſtini ⁊ iouite ex parte di
ctum eſt ſupra.xv. kalendas mar
tij: viſis miraculorū inſignijs que
deus in tormentis predictorum
ſanctorum exhibebat: ad Chriſtum conuerſus
eſt: et cum eiſdem martyribus plurimis ſup-
plicijs cruciatus: tendam ab alexandro augu-
ſto mediolani exiſtente: traditus eſt ſapritio
prefecto puniendus: qui ad alpes cotias ab im
peratore mittebatur. Quem ſapritius ante ſe
premiſit ſub cuſtodia: in ciuitate aſteñ. carce-
ceri mancipandum: vbi dum ſapritius cum ſe-
cundo milite aduenisset: ⁊ ſecundus caloceruȝ
ſepius in carcere viſitaſſet: ab eodem chriſti fi-
de doctus eſt: ⁊ miſſus mediolanum a ſanctis
fauſtino ⁊ iouita baptizādus. Qui baptizatus
terdonam rediit: ⁊ martianū epiſcopum in car
cere viſitauit: ipſumqȝ a ſapritio martyrizatum
ſepeliuit: propter quod plurimis afflictus tor
mentis a ſapritio in carcerem miſſus fuit: vt in
eius paſſione dicet. iij. kalen aprilis. Cū autē
ſapriti⁹ ad carcerē mittens ſcðm nō inueniſſet:
⁊ ad ciuitatē aſteñ. rediiſſet: vt vel calocerū mo
ri faceret: repperit ſecundū in eodē carcere cū
calocero exiſtentē. Et ſecundū quidē in cuſto-
dia reſeruari iuſſit. Calocerū xͦo albiganū mit
ti: et ibidem capite cedi. Cuius corpus a fide-
libus iuxta ipſam ciuitatem cum honore huma-
tum eſt decimoquarto kalendas aprilis.

¶ De ſctō Joſeph ſpōſo dñe noſtre. Cap. ccix.

Joſeph ſan
ctiſſimus domine
noſtre ſponſus de
ciuitate bethleem
oriundus de domo ſcilicet et
familia dauid regia ſtirpe p-
genitus: p miraculū aridevir
ge florentis: et ſpirituſſancti
in columbe ſpecie in eius ca-
cumen deſcendentis: cum iaȝ
ſenex eſſet: ⁊ filios ex vxore premortua habe-
ret: inter omnes ſuos cōtribules ſolus deo pla
cens ad deſponſandam virginem electus eſt:
eiuſqȝ ad cuſtodiam deputatus. vt in hyſtoria
natiuitatis virginis dicetur. vi. idus ſeptem-
bris. Hic eñ virginem deſponſatā in nazareth
in domo paterna dimiſit: et in bethleem ad pre-
parandas nuptias acceſſit: vbi dū morā trahe-
ret: angelus ad virginē mittit: ipaqȝ operante
ſpirituſancto impregnatur. Cū aūt ioſeph poſt
ſeptem menſes rediēs pregnantē repperiſſet:
cum iuſtus eſſet: voluit occulte dimittere eam.
Sed admonitus ab angelo: vt dicit Matth. i.
eam accepit: quia ipam de ſancto ſpū cōcepiſſe
cognouit. Poſtmodū cū deſcriberet orbis illaȝ
ſecū bethleem pro facienda pfeſſione deduxit:
vbi ⁊ filium dei natuȝ de virgine prim⁹ in vlnis
ſuſcepit: ⁊ ipm vti bonus nutricius ſumma di-
ligentia educauit: ⁊ omībus verbi dei infantie
geſtis interfuit. Nam ⁊ eidē circūciſio aſtitit: ⁊
magos ad eum adorandū veniētes conſpexit:
et ipm vna cum matre ad templū preſentauit:
ipmqȝ metu herodis ab angelo monitus in egy
ptum cū matre fugauit: ⁊ per ſeptenniū ibi ma
nens: mortuo herode eūdem ⁊ genitricē ad pa
triam rettulit. In medio doctorū etiam ipſum
duodenem vna cum maria triduo ante amiſſuȝ
inuenit. Ideoqȝ virginitatis ſponſe ſue et oīm
infantiliū chriſti actuum veridicus teſtis fuit.
¶ Hic ioſeph vt in libro de infantia chriſti d::
vxorem alteram prius habuit: ex qua plures fi
lios procreauit: qui etiā ex euangelio iohannis
ſexto ca. fratres ieſu dicunt: q2 ex ieſu patre pu
tatiuo pgeniti. vnde ⁊ quibuſdā placet: ꝙ iaco
bus minor apoſtolus ideo frater domini dicat:
quia ioſeph filius fuerit ex alia cōiuge: vt Hie
ronymus libro de illuſtrib⁹ ponit: Quis ab eo-
dem talis opinio reprobet. Eodem etiā infan-
tie chriſti libello tradit: ꝙ ioſeph faber ligna-
rius fuit: vnde ⁊ ibidē fertur: ꝙ cū ioſeph gra-
batū faceret: ⁊ oēs tabulas ſecuiſſet: vna ipaꝝ
ex errore mēſure minor ceteris reperta eſt. Et
cū ioſeph ex hoc triſtaret: puer ieſus tabulam
breuē alijs appoſuit: ⁊ ipam vti eſſet cera mol-
lis protrahens ad ceteraꝝ longitudinē diuina
virtute protendit: pp̄ter hoc in euāgelio iohan
nis ieſus a iudeis fabri filius appellatur. Hec
ex textu euangelioꝝ: ⁊ libro de infantia predi-
cto. ⁊ ex compilatione fratris bartholomei col
ligunt. ¶ Quāto xͦo tēpore ioſeph ſupuixerit:
vel vbi: aut quo modo humanitatis debitū ſol-
uerit: expreſſum nō habemus. Tamē ꝙ vſqȝ ad
duodecim annos etatis chriſti ſuperſtes extite
rit ex textu luce ſecūdo capitulo didicim⁹. In
quodā tamē antiquiſſimo kalendario in cuius
exordio rubrica ponebat: quod ex vetuſtis eu-
ſebij ceſarieñ. exemplaribus ſumptum fuerat:
ſcriptū repperi: feſtū ioſeph ſponſi dñe noſtre
xiiij. kalen. aprilis. Cui ex antiquitate ⁊ exem-
plaris origine ſatis fidem adhibui.

¶ De ſctō Theodoro epō. Cap. ccx.

Theodorus heracli
enſis epiſcopus tēpore conſtan
tini magni imp̄atoris in thracia
claruit. Qui ī mattheū: iohānē:
paulum: ⁊ pſalteriuȝ elegantis
apertiqȝ ſermonis cōmētarios
edidit: et ſermonibus atqȝ moribus admodum
effulſit. Diem quoqȝ extremū. xiiij. kalen. apri-
lis concluſit. Hec hieronymus de illuſtribus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN